

negotia mandata litteris ac voci testium ab utroque trahunt immobile firmamentum. Notum igitur esse volumus universis tam praesentis quam futuri aevi fidelibus, quod cum discretus vir dominus Leo praepositus, Albertus prior totusque conventus canonicorum regularium ecclesiae sanctae Aefrae in Misna a Petro, quondam filio Cristani militis de Broctitz, duos mansos sites in villa Broctitz, quos idem Petrus possedit et tenuit a nobili viro Meinhero burchravio Misnensi iusto titulo feodali, pro certa quantitate pecuniae, videlicet pro sexaginta et octo marcis iusto emptionis et venditionis titulo comparassent, nos ad petitionem praedictorum canonicorum regularium, post liberam et spontaneam resignationem dictorum mansorum factam in manus burchravii praedicti a praedicto Petro et suis coheredibus, habita quoque resignatione libera et spontanea eorundem mansorum et facta in manus nostras a burchravio saepedicto, dictos mansos dedimus ob salutem animae nostrae canonicis ecclesiae antedictae iure proprietatis perpetuo possidendos, dantes eis Dresden in testimonium praesens scriptum nostri sigilli munimine roboratum, anno domini M^o. CC^o. LXXXII^o. tertio ydus Aprilis, praesentibus praedicto nobili viro Meinhero burchravio Misnensi, Alberto dapifero de Burnis, Heinrico camerario de Gnannenstein, Rudeghero de Schachowe, Heinrico de Colditz, Hermanno de Maltitz, Hermanno de Tannenvelt, Friderico magistro coquinae nostrae et aliis quampluribus fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit Bruchstücken des Reitersiegels an Fäden von rother, grüner und gelber Seide. In einer zweiten vollständig gleichlautenden Ausfertigung fehlt der Ausstellungs-ort Dresden, und das Siegel ist abhanden gekommen.

Märcker Burggrafs. Meissen S. 420.

No. 171. 1282. 21. Apr.

Derselbe eignet zu seinem und seiner Voreltern Seelenheil dem Chorherrenstifte 12 Zinsmausse (Scheffel?) Salz von einer Mühle bei Grimma.

In nomine domini amen. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio universis Cristi fidelibus praesentem litteram inspecturis imperpetuum. Ne ea quae aguntur in tempore simul cum temporis volubilitate dilabantur, perhennari solent testimonio litterarum. Notum igitur esse volumus universis tam praesentis quam futuri temporis Cristi fidelibus, quod nos pro remedio animae nostrae et progenitorum nostrorum memoria in orationibus habenda duodecim censuales modios salis, quos frater Hartungus dictus de¹⁾ Steinvelt et uxor sua et filii sui quondam a nobis tenebant in feodo, in quodam molendino prope Grimme post obitum dicti fratris Hartungi et uxoris et filiorum praedictorum monasterio canonicorum regularium sanctae Aefrae in Misna contulimus iure proprietatis perpetuo possidendos, in festo Egidii a possessoribus eiusdem molendini annis singulis persolvendos, dantes eidem monasterio Dresden in testimonium praesens scriptum sigilli nostri munimine roboratum anno dom. M^o. CC. LXXXII^o. XI. kal. Maii, praesentibus nobili viro Ottone de Donin²⁾ burchgrauio, Alberto dapifero de Burnis, Heinrico de Sydin, Rudegero de Schachowe,

1) de fehlt in B. 2) Dougn B.
COD. DIPL. SAX. II. 4.